



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLXVII. Differentia 38. Illi qui vocatur ad iudicium, secundùm leges 20.
dierum dilatio conceditur pro deliberatione, cedatne, an litiget.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Illi qui vocatur ad iudicium, secundum leges 20. dierum dilatio conceditur pro deliberatione, cedatne, an litiget. *l. Offeratur. Auth. De litis contest. Iure Canonico autem arbitrarium est. c. Dilectus. De procur. Galvanus 52.*

I. **A**uthentica nominata iubet libellum accusationis reo dari, qui exinde præbitis sportulis, & data fide iussione viginti dierum gaudet inducijs, quibus deliberet, cedatne, an contendat, Judici alium associari perat, vel recuset eum, nisi ille sit, quem ipse alio recusato iam petierit: denique præsens interrogetur, an hoc tempus litis transferit. Vbi *Gottifr.* notat, nec terminum illum minui, nec illo nondum elapso procedi posse. *Lancelot. l. 3. tit. 7. Casif. l. 4. tit. 6.*

II. Sed his neglectis arbitrio Judicis permittitur à sacris canonibus induciarum tempus. *Gloss. inc. cit. Dilectus. v. Cedere.* Ex hoc patet, quòd induciæ deliberatoriæ arbitrariæ sunt, quia debent moderari secundum locorum distantiam, personarum, & negotij qualitatem, licet dicatur, *Viginti dierum gaudeat inducijs*: imò plus vel minus, secundum quod visum fuerit Judici expedire. *cap. Quoniam frequenter § si vero. Ut lite non*

contest. Aliæ verò induciæ, puta, quæ dantur ad appellandum, non sunt arbitrariæ. Nam ibi iudex nihil habet officij, & quoad consultationem *De re iudic.* Non aliter *Petrus de ferrar. in Pract. sua. tit. Forma libelli n. 7.* Non solum iudici, sed etiam parti libellus dandus est, ut in *Auth.* dicitur, Judici quidem, ut possit iuxta formam libelli proferre sententiam. *l. ut fundus ff. communi divid. parti vici,* ut possit deliberare, an velit cedere liti, vel contendere. *l. 1. ff. eod.* Fieri etiam potest, ut citationi insertus libellus absenti transmittatur, quod providet, & circumpectè faciendum monet *Gail. l. 1. obs. 5. n. 4.* quia in tali casu induciæ deliberatoriæ non sunt ulterius indulgentiæ. *c. Præterea. De dilat. vbi Glossa in n. Plenè Barthol. in Auth. Offeratur. n. 3. & in l. 2. ff. De re iud.*

* *
*